

unt oratores, emphatice loquentes.

Sic Jes. XL. 13. *verto: quis direxit Spiritum Dei*

Num. v, 29. *Hæc est lex Zelotypiarum*

Jud. IV. 5. *habitabat sub palma Debora.*

Chron. XI. 2. *tu pasces populum Israelem.*

Es. XXII. 17. *occultum aquæ inundabunt.* Sic evidentia sunt omnia, si modo voces, alio charactere expressas, ἐμφατικῶς eloqueris, nec requirantur Regulæ Frankii §. 220. Diacr. quæ tot repetitionibus textum obscurant. Concludam, & clavum, ex Hercule defuntum, in figura proponam: quicumque in lectione oratoria vocem ἐμφατικῶς pronuntiat, & in versione grammatica vocem illam cum sequenti connectit, ille sibi contradicit. Atque E. Connexio nullibi est, nisi in confuso Frankii cerebello, quod gerit in calcaneo. Si Frankius quicumque vult evincere, probet, necesse est, accentus non esse signa decoræ lectionis, alias omnis labor est frustraneus. Hoc facto probare debet, accentus non indicare, quasdam voces grammatice constructas, in lectione ἐμφατικῶς esse legendas, quod omnes admittunt. Præterea ex hoc principio Cl. Vir suas versiones non solum reddit nitidas, & cum Chaldæo LXX. senibus & Vulgato plerumque consentientes; sed etiam versionem B. Lutheri, Schmidii &c. contra Frankii ineptas repetitiones, & corruptelas vindicat, & lectoribus verum codicis hebræi sensum, quem vocum constructio postulat, suggerit. Quia vero Fr. hoc principium non intellexit, sed aliud ejus loco substituit, nempe *accentus ubique sensum distinguere, & non indicare emphaticam lectionem, sed vocum repetitionem*, inde est, quod ex putrido fonte, putridam aquam hauserit, & falsas regulas struxerit. Inde est, quod Commentatores & interpretes despiciat, perstringat, & diffamet, qui contra ejus ineptas accentuum regulas egerunt.

§. XXII.

Duo principia vel hypotheses supposuerat Vir Cl. Primum: *omnes distinctivos semper lectionem codicis distinguere*; Alterum: *omnes servos voces suas sequenti distinctivo in lectione annectere*. Prius jam vidimus; in posteriori quid Fr. desideret, examinabimus. p. 15. iterum contradictiones fingit, quod Cl. Vir

di-